



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

1 Intentio nedum ordinantis, sed etiam ordinati, saltem virtualis conferendi, & suscipiendi sacramentum ordinis est necessaria, alioqui non imprimatur character.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13903**



catione reintendit, etiam data postea cautione absolutio nõ valet; quia dispositio conditionalis ante impletam contritionem inefficax est; §. omnis, & §. ex conditionalis. Infit. de verb. obli. & c. si pro te. de resc. in 6. Iudex autem absolutio- nem de disse censetur sub conditione, si intra certum, & præfixum terminum cautionem præstaret, quam cum ipse non præstiterit intra illum terminum, absolutio- nis beneficium non est adeptus. Vnde si talis se ingerat officijs Divinis, & pro absoluto se gerat, cum tamen nec verè absolutus esset, nec tempore debito cautionem dedisset, irregularis efficitur, & beneficijs suis, si quæ habet, iustè propterea privari potest. c. clerici, & c. fraternitati. de cler. excom. m. in fit.

## TITVLVS V.

Qui clerici, vel vouentes.

Hic titulus deest in antiquis.

## S V M M A R I V M.

- 1 *Intentio nedum ordinantis, sed etiam ordinati, saltem virtualis conferendi, & suscipiendi sacramentum ordinis est necessaria, alioquin non imprimitur character.*

## DECISIO I.

Ex cons. 2. in Novis, deest in antiq.

- 1 **C**um intentio ordinantis, & etiam ordinandi saltem virtualis conferendi Sacramentum ordinis necessaria sit, sicut in baptismo, alioquin non imprimitur character, qui ficto animo cum beneficium haberet, sacrum subdiaconatus ordinem suscepit, ut fructus beneficij lucrifaceret, absque vlla dispensatione vxorem in foro conscientie valide ducere potest, & proles ex muliere, quæ bona fide illi nupsit, quem probabiliter subdiaconum ignorabat, vel quæ probabiliter suscipientem dispensatum credebat, nata legitima cenferi debet; ex tenore, & ibi glo. qui filij sint legit. fructus tamen beneficij, seu distributiones, quæ ratione beneficij, & ordinis lucratus est, ijs, quibus acereuissent, restituere tenetur, & in foro exteriori puniri, & ad vtendum ordine cogi poterit.

## TITVLVS VI.

De eo, qui duxit in Matrimonium, quam pol-  
luit per adulterium.

## S V M M A R I V M.

- 1 *Matrimonium contrahere possunt adulteri, qui maritum ad alium finem, quam contrahendi, occidunt.*
- 2 *Impedimentum impediens, & dirimens contrahitur, vbi adulter promittit adulteræ se illam ducturum, si ipsa probe id posse fieri.*
- 3 *Papa solus dispensat super impedimento procedente ex eo, quod quis duxit aliam, adhuc viuenti nuptam.*

## DECISIO I.

Ex cons. 1. in vtrisque.

- 1 **M**aritus, qui vxorem adulteram, & adulterum per insidias occidere conatur, si adulter, & vxor eius hoc scientes absque intentione contrahendi matrimonium in illius mortem machinentur, & secreto occidunt, inter se legitimi postea matrimonium, his non obstantibus, contrahere possunt. Tunc enim solum huiusmodi adulterantes inter se matrimonium contrahere impediuntur, quando maritum occidunt seu mortem eius ad finem, & effectum inter se contrahendi matrimonium procurant, prout iura, & Doctores affirmant; c. 1. de eo qui du. in vxor. & c. 1. de conuers. in fi. & S. Thom. 4. d. 35. in exp. liter. & d. 37. q. 2. ar. 2. & Quid. 5. art. 15. & Syl. verb. matrimonium, 5. q. 9. non autem quan-

do ob alium finem eum occidunt; præsertim cum ratio, & fundamentum inductionis huius impedimenti sit, ne maritum, aut vxorem aliquis, ad matrimonium cum alijs, quos, vel quas amat, contrahendum occidere præsumeret; Quæ ratio cessat cum alia quavis de causa eos, vel eas occidunt, cessante verò causa finali, & ipsa lex etiam cessare censetur, l. si. ff. de hæred. instit. & ait Nau. in Man. c. 22. nu. 46.

## DECISIO II.

Ex cons. 2. in vtrisque.

**Q**ui cum coniugata rem habuit cuius maritus per multos annos absens fuit, illaque petit, ut ipsam ducat, & adulter adulteræ respondet se illam docturum prout petit dummodo ipsa probe id posse fieri, mortuo postea adulteræ marito, adulteram illam ducere nequit. Eo quod ex promissione tali conditionali adulteri de ducendo adulterâ post mortem mariti, contrahitur impedimentum impediens, & dirimens matrimonium inter adulterum, & adulteram contractum. ca. fin. & toto tit. de eo qui du. in matrim.

## DECISIO III.

Ex cons. 5. in Novis deest in antiq.

**M**atrimonium cum aliqua viuente marito illius, contractum nullum est, & mortuo illo de nouo contrahere oportet obtenta tamen prius dispensatione propter impedimentum, quod est inter eos natum ex titulo. (De eo, qui duxit in matrimonium, quam poluit per adulterium.) Iamper quo solus Papa, cum sit impedimentum impediens, & dirimens, dispensare potest.

## TITVLVS VII.

De cognatione spirituali.

## S V M M A R I V M.

- 1 *Infans doli capax cognationem spirituales contrahere potest, secus, si doli capax non sit.*
- 2 *Cognatio spiritualis per alium contrahi nequit.*
- 3 *Patrinus, ut sit maior baptizato, non requiritur.*
- 4 *Patrini plures designati si admittantur omnes cognationem contrahunt.*
- 5 *Incestus inter cognatos spirituales, nec propriè incestus est, nec impedimentum impediens causat.*
- 6 *Impedimenta plura cum adsint, potest peti dispensatio ab vno, absque eo quod de alio fiat mentio.*

## DECISIO I.

Ex consil. 1. alias 2.

**Q**uamuis infans, qui nondum vsum rationis habet, nec peccare potest, nec obligare se voto intra primum septennium ad contrahendum sponsalia sit ineptus, ex S. Tho. 4. d. 27. q. 2. ar. 2. cum patrinus in baptismo esse potest, cum baptizatum fidem catholicam docere, ad castitatem seruandum monere, & bonis moribus instr. uere nequeat; eos ante de consec. d. 4. & S. Thom. 4. d. 6. q. 2. ar. 2. vnde si talis baptizatus in baptismo teneat, cum eadem baptizata cognationem spirituales non contrahit, sed cum eadem matrimonium postea sine vlla dispensatione legitime contrahere potest; Infans tamen, qui doli capax est, intra primum septennium, & iudicium sufficiens ad peccandum mortaliter habens si quam in baptismo, vel confirmatione teneat, cum eadem cognationem spirituales contrahit, nec cum eadem postea sine dispensatione matrimonium contrahere valet.

## DECISIO II.

Ex cons. 2. alias 6.

**C**um cognatio spiritualis sit attentantia, leuatio, & tactus ex Sacramenti datione proueniens, capit. 1. 2. 3. 4. & 5. & c. omnes, 3. q. 1. c. contracto, & c. veniens, de cognit. spirituali, & patet ex Concil. Triden. sess. 24. c. 2. de refor. matr. & pro